



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,
locisq[ue] scriptos digesti**

Cochlaeus, Johannes

Ingolstadii, 1545

VD16 C 4328

VI. Cert[a]e ex Regno Angli[a]e Nouitates, super determinatio[n]e VI.
Qu[a]estionum in causa religionis, scriptae Hagenoiae Anno. 1540.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29563

MISCELLANEO^{rum} RVM LIBRI TERTII

Tractatus Sextus.

CERTAE EX REGNO ANGLIAE
Nouitates. Anno Domini 1540.

SENATVSCONSULTVM PRO VA^{riarum}
riarum opinionum abolitione in aliquot suis partibus,
Christianam religionem concernens.



Concordia
in religione

Vum excellentissima Regia Maiestas sic
diuino iure huius Vniuersalis Ecclesie &
Cōgregationis Anglicane immediate sub
Deo supremum Caput, omni suo, ad ean-
dem ecclesiam et congregationē Anglica-
nam, in sincera & consonanti Religionis
Christiane doctrina incolumnem seruandam, adhibito stu-
dio, In sanctam memoriam suā uocās tam magnam quietē
tamq̃ securitatem, foelix incrementum, aliaq̃ bona infinita
quę ex opinionum concordia, cōsonantia, & unitate semp
sunt orta, Quām rursus multipharā pericula, mala & in-
commoda, quę superioribus temporibus in multis locis ac
patrijs, animorum ac opinionū uarietas, maxime in his quę
ad Religionem Christianam pertinent, inuexit. Nihilque
magis sibi sollicitudini & curę habens, quām in his quę ad
Christianam religionem pertinent, firmam concordiam &
consonantiam constabilire, eamq̃ sic constabilitam in ho-
riorem principaliter cunctipotentis Dei, qui omnis cons-
cordie uerus author est & fons perennis, Consequenter au-
tem in utilitatem suę Maiestatis Regni, omnium subdito-
rum,

rum, aliorumq; quos Regno suo donauit, Ad hanc, inquã, Christianę religionis concordiam constabiliendam, diuersis urgentissimisq; ex causis in hunc diem iussit senatum cogi, pariterque omnium Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumq; Ecclesiasticorum, quos Doctrina celebris commendauit, synodum & conuentum fieri.

In hoc Senatu, Synodo, & Conuentu aliquot articuli ac questiones, quę ad Christianã religionem pertinent, proponerentur. In primis, Vtrũ in beatissimo altaris sacramẽto post consecrationẽ materia panis & uini remanet. Secundo. An iure diuino necesse sit, ut oēs homines promiscue communiscent sub utraq; specie. Tertio, Vtrum sacerdotes, id est homines dedicati per sacerdotium Deo, possint iure diuino, posteaq; sacris initiati sunt, uxores ducere. Quarto, Vtrũ uota castitatis siue uiduitatis, non temere facta Deo per uirum siue foeminam, iure diuino sunt obseruanda. Quinto, Vtrum priuatę missę iuri diuino quadrant, & in Ecclesia ac congregatione Anglicana sunt celebrandę, tanq; res, ex quibus probi Christiani possint simul & diuinam consolationem & salutaria beneficia recipere. Sexto, Vtrum auricularis cõfessio in Ecclesia necesse retinenda ac exercenda sit.

Sex Quæstiones in causa Religionis.

Regia Maiestas prudenter secum reputans animaduertensq; in ualescentibus uarijs de ijs articulis opinionibus ac iudicijs, magnam discordiã tam inter Ecclesiasticos sui Regni, quã etiam sæculares unice dilectos sibi subditos ortã esse, magna spe et fiducia ductus, habita semel horũ articulo rũ matura decisione, concordiã inter unice dilectos sibi subditos coalescere. Non solum Archiepiscopis ac Episcopis atq; Cleri sui eruditis, hos articulos disputandi deque ijs bene deliberandi prouinciam dedit, ac deliberatas super iam dictis Articulis illorum opiniones in medium profers

Matura Cõsultatio super ijs Quæstionibus.

proferri ab omnibus cognoscendas iussit, Verum etiam hu-
manissime in Regali persona, in Senatum suum supre-
mum descendere dignatus est, ibique ut Princeps prudentissi-
mus iuxta ac eruditissimus, reconditam quandam eruditio-
nem de his articulis ac controuersijs ad concordiam recon-
cinnandam deprompsit. Tandem post longam super his ar-
ticulis deliberationem, post consultationes plurimas, post
denique argumenta ultro citroque infinita connexa, omnium
tam Regiæ Maiestatis, quam utriusque Senatorij Ordinis ac
plebis in hunc Senatū coactę, summo consensu fuit & est
resolutū, decisum ac statutū, eo modo ac forma qua sequit̃.

Sex Conclu-
siones Catho-
licę.

In primis. In beatissimo altaris sacramento, per uirtutem
& efficaciam potentissimi uerbi Christi, simul atque illud sa-
cerdos ore loquutus fuerit, sub forma panis & uini natura-
le corpus & sanguinem dominicum, conceptum ex Maria
uirgine, realiter adesse, Et post consecrationem nullam aut
panis aut uini, aut aliam quam Christi, Dei & hominis, res
manere substantiam. Secundo, Communicare sub utraque
specie, non est omnibus hominibus iure diuino necesse ad
salutem, Credendumque est & non dubitandum, quoniam
in carne sub specie panis sit uerus sanguis, & cum sanguine
sub specie uini sit uera caro tam diuisim quam coniunctim.

Tertio. Sacerdotes, postquam sacris initiati sunt, iure diuino
non possunt uxores ducere. Quarto. Vota castitatis siue uir-
ginitatis, à uiro foeminaue non temere facta Deo, iure diu-
no sunt obseruanda, Christianique populi libertate quadam
eos priuant, qua nisi uouissent, potuissent uti frui.

Quinto. Missas priuatas in hac Regis Anglicana Eccle-
sia ac congregatione, admitti ac celebrari, simul & bonum
& necessarium est, Per quas probi Christiani, quorum uita
respondet pariter & bona & diuina solatia & beneficia inde

reciō

recipiunt, missæq; celebrari iuri diuino quadrat.

Sexto, expedit necesseq; est auricularem confessionem retineri in Ecclesia Dei.

Regiæ Maiestati tam pio affectu tã diuino studio, tan-
tis rationibus supradictorum articulorum decisiones excu-
tiãti, obsequentiſſime ac maxime morigeri eius ſubditi, Or-
do ſenatorius uterq; plebs in hunc Senatũ coacta, omnes
non ſolum gratias immortales agunt, ſeſeq; ut Deum Opti-
mum Maximũq; aſſiduis precibus, pro conſeruando in mul-
tos annos Regaliſ Maiestatis ſuæ ſtatu interpellari, obno-
xios eſſe agnoſcunt, Verum etiã cupientes diuinum Regiſ
conatum bonum ſortiri effectum, adeoq; conſtabiliri, Vt pri-
mum in Dei honorem, conſequenter autem in totius regni
uergat utilitatem, ſupplices abs rege contenderunt ſupra di-
ctorum articulorum decisiones huius præſentis ſenatus au-
thoritate confirmari ac muniri.

Quo circa Regiæ Maiest. autoritate, ac ſummo utriuſq;
ordinis ſenatoriſ plebiſq; in hũc Senatũ coactę conſenſu, in
hunc modum, qui ſequitur, latum eſt ſenatus cõſultum.

Qui uel in hoc regno Angliæ, uel in alio quouis Regiæ
Maiestatis dominio, poſt XII. diem Iulij, qui proxime ſe-
quetur, uerbo, ſcripto, prælo, ficticiſ characteribus aut alio
quouis modo, publice concionantur, docent, dicunt, affir-
mant, declarant, diſputant aut ratiocinãtur, in beato ſacra-
mento altaris ſub ſpecie panis & uini, poſt eius conſecratio-
nem, naturale corpus & ſanguinem ſaluatoris noſtri Ieſu
Chriſti, conceptum ex Maria uirgine, realiter non ad eſſe.
Qui poſt eius conſecrationem aliquam ſubſtantiam panis
& uini, aut aliam ſubſtantiam quã Chriſti Dei & hominis
remanere, Qui poſt diẽ ſupra præfixum, publicãt, cõcionãt,
docent, dicunt, affirmãt in carne ſub ſpecie panis nõ eſſe ue-

V u rum

Cõprobatae
generaliter
ab omnibus
iſte cõcluſio
nes.

Senatuscõ-
ſultũ ab om-
nibus Regi-
ni ordinib.
appbatum.
De Sacramẽ-
to Euchari-
ſtiæ.

rum sanguinē Christi, aut cum sanguine sub specie uini non esse uerā carnem Christi tā diuisim quā cōiunctim, Aut do cent, cōcionant, declarant, aut affirmant dictū sacramentū aliū esse substantiā quam supra demonstratum est. Aut ali quo pacto contemnunt aut uituperant beatū sacramentū altaris, Tam principalis reus, quā alij subsidiarij, & qui con silio aut re eum iuuerint, n̄ omnes, posteaquam ea forma ius ris, quę infra sequitur, de illius ac illorum malicia constiterit habebuntur hæretici, omneq; huiusmodi maleficiū cense bitur hæresis. Huius hæresis cōdemnati, igne uitæ amissio nem sustinebūt, reiectis omnibus abiurationis Cleri aut As sili beneficijs, bonaq; damnatorum, tam mobilia quam im mobilia omnia conferentur in fiscum, quæ tempore huius aut post delicti commissi possidebant per se uel per alios, ut in crimine læsæ Maiestatis.

Contra cō
munionem
sub utraq;
specie.

Præterea, Qui post iam dictum XII. diem Iulij publice cōcionat apud regis subditos, Qui docet in aliqua uniuersa li schola, Qui apud aliquē cōuentū populi uerba facit, Qui in ius uocatus, ea forma iuris quæ infra declarabitur, perti naciter obfirmatoq; animo ac opinione sustinet aut defen dit Cōmunionē beati sacramenti altaris, in utraq; specie, id est, sub figura panis & uini, necessariā esse ad salutē animæ, Oportereq; iam dictum sacramentū alicui sub utraq; specie dari ac ministrari quā sacerdotibus missam celebrantibus, beatorumq; sacramentū altaris consecrantibus, Qui cōcionat docet, declarat, affirmat, aliquem, posteaq; sacris initiatus sit (ut supra demonstratum est) posse uxorem ducere. Qui sustinet uirū aut fœminā, qui queue non temere uotum cas sitatis uel uiduitatis iam promisit, uel in posterū promittet, posse uxorem ducere, aut uiro nubere. Qui priuatas missas improbat, easq; nō laudabiles nec in hoc regno celebrandas

Contra con
iugiu sacer
dotum.

Pro priuatis
Missis et pro
Cōfessione
auriculari
ac p uotis.

nec

nec iuri diuino consonas sustinet. Qui auricularē confessio-
nem inutilem nec necessariam esse in Ecclesia Dei defendit.
Aut si sacerdos uir aut foemina post iam dictū diem Iulij,
qui consulto iam uouerit, aut post iam dictum diem uota ca-
stitatis uel uiduitatis uouet, uxore duxerit aut uiro nupserit
Aut quid licitum esse defenderit, aut matrimoniū in huius
modi uoto obstrictos contraxerit, Est & erit fur iudicandus.

Reiq; huius criminis ea forma iuris, quæ infra sequitur,
conuicti ac condemnati, eas pœnas patientur, quas furto ir-
rogari, legibus ac cōsuetudine receptum est, reiectis omni-
bus Cleri abiurationis aut Asyli priuilegijs, bonaq; eorum,
ut in casibus furti, in fiscum conferentur, iusq; bona illorū
damnatorum ecclesiastica alijs conferendi ad collatores redi-
bit, perinde ac si uita defuncti essent.

Quæ sequuntur pertinent ad executionem eorum quæ
supra constituta sunt.

Et ut ea, quæ supra constituta sunt, effectum suum for-
tiantur, simul atq; XII. dies Iulij elapsus fuerit, uarie delega-
tiones in omnes huius regni & Vuallia comitatus, omniaq;
alia loca Regi subdita transmittentur, Iudicesq; delegati er-
runt Archiepiscopi, Episcopi, Illorum Cancellarij, Officia-
les, quos Regi uisum erit nominare. Aut subdelegati ab ijs,
quibus Rex subdelegandi potestatem dedit. Archiepiscopus,
Episcopus, Cancellarius, Officiales, aliq; Iudices de-
legati, Aut ex ijs tres, Ita tamen ut illorum unus sit Ar-
chiepiscopus, Episcopus, Cancellarius, aut Officialis,
intra territorium suæ delegationis, quater aut sapius
in anno, pro tribunali sedebunt, huiusq; senatusconsul-
ti autoritate de omnibus & singulis hæresibus, furtis,
cōtumacia, alijsque criminibus, quæ supra demonstrata sunt,
perpetratis intra fines suę delegationis per modū accusandi,

Magistratus
ad exequen-
das prædi-
ctas Conclu-
siones.

denunciandi, ita tamen, ut duo accusatores sint omni exceptione maiores ac inquirendi XII. hominum iuramento plenam habebunt cognoscendi potestatem. Et omnis huiusmodi accusatio & denunciatio, factum, nomen, cognomen, domicilium Reipublicæ, diemque et annum, locum, territorium, ubi & quando huiusmodi crimina erant commissæ, continens, eiusdem erit efficacitæ in iudicio, ac si exhibitæ fuissent per Verdit, id est, ueridictionem duodecim hominum.

Verdit.

Qualis contra reos Iudicij processus
Præterea omnes Archiepiscopi, Episcopi, illorum Cancellarij, Officiales, Archidiaconi, alijque Ordinarij, qui in hoc regno aut in Vuallia aut alijs Regis dominijs, Ecclesiasticâ aliquâ peculiarē Iurisdictionē habent, possunt in uim huius senatusconsulti, de omnibus, quæ supra commemorata sunt, criminibus, intra fines sui territorij, per modum inquirendi, denunciandi, accusandi, tam solenni Iudiciali more, quàm summarie & de plano cognoscere. Talisque accusatio aut denunciatio Ordinarijs territorij iudicibus facta, non minoris erit roboris, quam si exhibitæ fuisset iusticiarijs pacis solenniter pro tribunali sedentibus.

Iudicium potestas.

Iusticiarij pacis solenni conuentu pro tribunali sedentes, Cæteri que pedanei, iudices, huius senatusconsulti autoritate eandem habebunt XII. hominum iuramenta de omnibus quæ supra commemorata sunt, criminibus intra fines sui territorij delegationis que perpetratis, inquirendi potestatem. Præterea iudices delegati, Ordinarij, alijque ad quos horum criminum cognitio spectabit, accusatores diligenter interrogabunt de alijs testibus, qui delicto commissæ, iamque in iudiciū producti, interfuerunt, alijque ad quos noticia delicti puenit.

Sisti iudicio.

Habent quoque non, apud quos crimen denunciatur, potestatem obligandi denunciatores, aliosque ad quos criminis noticia devenit

uenit, sub pœna Quinq; librarum in euentum contumaciæ à fisco exigenda, illo die se iudicio sistere, quo Iudices pro tribunali sedētes de hoc crimine cognoscēt. Et is apud quos reus horum criminum defertur, intra Vicesimū diem post factam denunciationem tenetur membrano scripto sigillo suo munito, horum criminum delegatos Iudices aut illorum unum, in cuius territorio denunciatum crimen dicitur commissum, huius denunciationis certiore reddere, & negligentia eius, qui Iudicem delegatum tempestiue huius denunciationis non sollemniter commonefecerit, X. librarum multa punietur. Præterea Iudices Delegati, aut ad minus illorum tres, ut supra demonstratum est, in huius senatus consulti ac delegati muneris uim, eo modo possunt procedere aduersus horum criminum latentes reos, quo legibus et consuetudine receptum est, in casibus furti procedi, hūcque processum habere locum tam intra fines sui territorij, quam in omnibus alijs locis regni, Vuallia, alijsque Regis dominijs.

Sed si Reus iudicio se sistit, huius senatus consulti delegati que muneris autoritate habebant Iudices Delegati plenam de causa cognoscendi, eamque legibus huius regni ac hoc senatus consulto definiendi potestatem. Præterea, hoc senatus consulto constitutum est, ut Iudices delegati, simul atque reus aliquis denunciatur, diligenter curabunt illum apprehendi, apprehensumque in carcerem conijcere potestatem habebunt. Et Iudices Delegati, aut duo illorum coniunctim, cautionem fideiussoriam de iudicio sisti à reo accipere possunt, Præterea. Si quis Iudicum delegatorum, alij cuius horum criminū defertur, cogetur secundum huius senatus consulti formam, abdicato delegationis munere, coram ijs Iudicibus, quos ad hoc Rex constituet, causam dicere.

In reum post
testas definiē
di.

Si Iudex reus
us fiat.

cere. Præterea, hoc senatusconsulto Reo, in XII. Homines quorum Verdit, Id est Veridictione aut stet aut cadat, calūniæ & inimicitiarum nulla competet exceptio. Præterea, omnium causarum ex his criminibus descendendum, reiectis omnibus exceptionibus dilatorijs, quæ illorum cognitionem differrent, ad Iudices delegatos statim cognitio pertinet, easq; XII. Hominum uerdit, hoc est Veridictione, sine aliqua dilatiōe terminabūt, Præterea, hoc senatusconsulto constitutum est, ut omnes qui exequendis suis præsumunt, qui custodiam carceris agunt, bona fide ac diligenter omnibus Iudicum delegatorum mandatis obtemperent, illorumque decreta executioni mandent, Præterea hoc senatusconsulto constitutum est, Vt Iudices delegati simul atq; certiores fiunt de delegationis munere, diligenter ea quæ sunt illius muneris curabunt, Et priusquam illius exercitio se immiscant, coram Cancellario Angliæ, aut alio, cui iamdictus Cancellarius per rescriptum Regis, cui nomen est, De dimus potestatem, munus accipiendi Iuramenti delegauerit, iurabunt, Tenor Iuramenti sequitur.

Constitutio
de custodia
reorum.

Iuramenti
forma quæ
iudicibus de
fertur.

Cura de libris
imprimendis.

Tu iurabis, ita tua doctrina, ingenio & potestate fideq; bona, munus tibi à Rege delegatum, ad coercendos hæreticos aliosque maleficos introductum, absque aliquo favore, affectu, corruptela, metu, dolore exercere, ut te Deus cum omnibus sanctis suis adiuuet. Et si Iudices delegati Iuramentum præstare nolunt, aut ne præstent ultro se absentant, X. Marcis legalis monetæ mulctentur suspecti. Præterea hoc senatusconsulto constitutum est, Vt omnes ac singuli Delegati Iudices omnes libros, qui in hoc regno Angliæ alijsque Regiæ dominijs imprimuntur, In quibus aliquid huic senatusconsulto repugnans aut dissonum erit, in eorum custodiam suscipiant, Iudicesque delegati, aut illorum

illorum tres coniunctim, illos libros aut igne aut alio pacto, pro ut bonum illis uisum erit, consument. Transcripta sunt hæc Hagenoia VI. Iulij 1540.

MISCELLANEO
RVM LIBRI TERTII
Tractatus Septimus.

CATALOGVS HAERETICORVM HV
ius Temporis Ex Edicto Cæsareo ad Flandrens
es Anno 1540.



Os igitur ea consyderantes, cupimus, omni cum potentia nostra extirpare atque delere supra scriptas damnatas sectas, Suermeritates, & hæreses, & subditos nostros conseruare in timore Dei, in sancta Catholica fide, & in obædientia matris nostræ sanctæ Ecclesiæ, Nos itaque maturo ac bene deliberato consilio, atque etiam cum consilio & consensu Charæ sororis nostræ Dominæ Mariæ Regiæ Douagiere, Vngariæ, & Bohemiæ &c. Regentis & Gubernantis in terris nostris huc uersus, Et similiter cum supremo Consilio nostro & sententia ordinauimus & statuimus, Ordinamus & statuimus pro Edicto & perpetua lege, ut sequitur.

Primum, Vt nemo, cuiuscumque status aut conditionis fuerit, posse debeat apud se habere, uendere, portare, dare,

Permanens
dum in fide
Catholica.

Doctrina
prohibita.